



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Svmmma Totivs Theologiae S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum**

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Secundum

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Romæ, 1619**

Vtrum subditi suis prælatis reneantur in omnibus obedire? 5

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38762**

rum acciperent: quia eius sunt omnia, & cui voluerit, dat illa. Similiter etiam non fuit contra castitatem præceptum Osee factum, ut mulierem adulteram acciperet: quia ipse Deus est humanæ generationis ordinator; & ille est debitus modus mulieribus utendi, quæ Deus instituit. Vnde patet quod prædicti nec obedendo Deo, nec obedire volendo peccauerunt.

Ad tertium dicendum, quod etsi non semper teneatur homo velle quod Deus vult; semper tamen teneatur velle quod Deus vult eum velle. Et hoc homini præcipue innotescit per præceptum diuinum. Et ideo tenetur homo in omnibus diuinis præceptis obedire.

## ARTIC. V.

*Virum subditi teneantur suis superioribus in omnibus obedire?*

550  
sup. q. 69.  
a. 3. ad 1.  
& inf. q.  
186. a. 2.  
cor. & 3.  
d. 25. q. 2.  
a. 1. q. 4.  
ad 3. &  
Rom. 13.  
69. 4. fin.

**A**D quintum sic proceditur. Videtur, quod subditi teneantur suis superioribus in omnibus obedire. Dicit enim Apostolus ad Colossen. 3. Filij obedite parentibus per omnia. Et postea subdit, Serui obedite per omnia dominis carnalibus. Ergo eadem ratione alij subditi debent prælati suis in omnibus obedire.

¶ 2 Præterea, Prælati sunt medij inter Deum & subditos, secundum illud Deuteron. 5. Ego sequer & medius fui inter Deum & vos in tempore illo, ut annuntiarem vobis verba eius. Sed ab extremo in extremum non peruenitur, nisi per medium. Ergo præcepta prælati sunt reputanda tamquam præcepta Dei. Vnde & Apost. dicit ad Galat. 4. Sicut angelum Dei excepistis me, sicut Christum Iesum. Et 1. ad Thes. 2. Cum accepissetis à nobis verbum auditus Dei, accepistis illud non ut verbum hominum, sed sicut verè est, verbum Dei. Ergo sicut homo debet Deo obedire in omnibus, ita & prælati.

¶ 3 Præterea, Sicut religiosi profitendo vouent castitatem & paupertatem: ita & obedientiam. Sed religiosus tenetur quantum ad omnia seruare castitatem



tem & paupertatem . Ergo similiter quantum ad omnia tenetur obedire .

SED contra est , quòd dicitur Act. 5. Obedire oportet Deo magis quàm hominibus . Sed quandoque præcepta prælatorum sunt contra Deum . Ergo non in omnibus , prælatis est obediendum .

RESPONDEO dicendum , quòd sicut dictum est , \* a. 1. c. 4.  
 obediens mouetur ad imperium præcipientis quadam necessitate iustitiæ : sicut res naturalis mouetur ex virtute sui motoris necessitate naturæ . Quòd autem aliqua res naturalis non moueatur à suo motore , potest contingere dupliciter . Vno modo , propter impedimentum , quod prouenit ex fortiori virtute alterius mouentis : sicut lignum non comburitur ab igne , si fortior vis aquæ impediatur . Alio modo ex defectu ordinis mobilis ad motorem ; quia etsi subijciatur eius actioni quantum ad aliquid , non tamen quantum ad omnia : sicut humor quandoque subijcitur actioni caloris quantum ad calefieri ; non tamen quantum ad exsiccari siue consumi . Et similiter ex duobus potest contingere , quòd subditus suo superiori non teneatur in omnibus obedire . Vno modo propter præceptum maioris potestatis . Vt enim dicitur ad Romanos decimotertio , super illud , Qui potestati resistunt , ipsi sibi damnationem acquirunt : dicit glossa \* , Si quid iusserit curator , numquid est tibi faciendum , si contra Proconsulem iubeat ? Rursum si quid Proconsul iubeat , & aliud Imperator , numquid dubitatur illo contempto , illi esse seruiendum ? Ergo si aliud Imperator , aliud Deus iubeat , contempto illo , obtemperandum est Deo . Alio modo non tenetur inferior suo superiori obedire , si ei aliquid præcipiat , in quo ei non subdatur . Dicit enim Seneca in tertio de Beneficijs \* , Errat si quis existimat seruitutem in totum hominem descendere . Pars enim melior excepta est . Corpora obnoxia sunt & ascripta dominis , mens quidem est sui iuris . Et ideò in his quæ pertinent ad interiorè motum voluntatis , homo

*est Aug.  
in ser. 6.  
de verbis  
domin. à  
medio il-  
lius, tom.  
10.*

*c. 20. in  
prin.*



non tenetur homini obedire, sed solum Deo. Tenetur autem homo homini obedire in his quæ exterius per corpus sunt agenda: in quibus tamen secundum ea quæ ad naturam corporis pertinent, homo homini obedire non tenetur, sed solum Deo: quia omnes homines natura sunt pares; puta, in his quæ pertinent ad corporis sustentationem, & prolis generationem. Unde non tenentur nec serui dominis, nec filij parentibus obedire, de matrimonio contrahendo, vel virginitate seruanda, aut aliquo alio huiusmodi. Sed in his quæ pertinent ad dispositionem actuum & rerum humanarum, tenetur subditus suo superiori obedire secundum rationem superioritatis: sicut miles Duci exercitus, in his quæ pertinent ad bellum; seruus domino, in his quæ pertinent ad seruilis opera exequenda; filius patri, in his quæ pertinent ad disciplinam vitæ, & curam domesticam; & sic de alijs.

Ad primum ergo dicendum, quod hoc quod Apostolus dicit, intelligendum est per omnia, quantum ad illa quæ pertinent ad ius patriæ vel dominatiuæ potestatis.

Ad secundum dicendum, quod Deo subijcitur homo simpliciter quantum ad omnia & interiora & exteriora: & ideo in omnibus ei obedire tenetur. Subditi autem non subijciuntur suis superioribus quantum ad omnia, sed quantum ad aliqua determinatè: & quantum ad illa medijs sunt inter Deum & subditos. Quantum ad alia verò, immediatè subduntur Deo, à quo instruuntur per legem naturalem vel scriptam.

Ad tertium dicendum, quod religiosi obedientiam profitentur quantum ad regularem conuersationem, secundum quam suis prælatis subduntur. Et ideo quantum ad illa sola obedire tenentur, quæ possunt ad regularem conuersationem pertinere. Et hæc est obedientia sufficiens ad salutem. Si autem etiam in alijs obedire voluerint, hoc pertinebit ad eumulum perfectionis: dum tamen illa non sint contra Deum, aut contra professionem regulæ, quia talis obedientia

tia



tia esset illicita. Sic ergo potest triplex obedientia distingui: una sufficiens ad salutem, quæ scilicet obedit in his, ad quæ obligatur: alia perfecta, quæ obedit in omnibus licitis: alia indiscreta, quæ etiam in illicitis obedit.

ARTIC. VI.

*Vtrum Christiani teneantur secularibus potestatibus obedire?*

**A**D sextum sic proceditur. Videtur, quod Christiani non teneantur secularibus potestatibus obedire. Quia super illud Math. 17. Ergo liberi sunt filij: dicit gloss. \* Si in quolibet regno filij illius regis, qui regno illi præfertur, sunt liberi; tunc filij regis illius, cui omnia regna subduntur, in quolibet regno liberi esse debent. Sed Christiani per fidem Christi facti sunt filij Dei: secundum illud Ioannis primo, Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius. Ergo non tenentur potestatibus secularibus obedire.

551  
2. d. 44. q.  
2. x. c.  
quo 2. a.  
9. cor.  
est Aug.  
lib. 1. qu.  
evang. c.  
23. to. 4.

¶ 2 Præterea, Ad Romanos 7. dicitur, Mortificati estis legi per corpus Christi: & loquitur de lege diuina veteris testamenti. Sed minor est lex humana, per quam homines secularibus potestatibus subduntur, quam lex diuina veteris testamenti. Ergo multo magis homines per hoc, quod sunt facti membra corporis Christi, liberantur à lege subiectionis, qua secularibus principibus astringebantur.

¶ 3 Præterea, Latronibus qui per violentiam opprimunt, homines obedire non tenentur. Sed Augustinus dicit in 4. de Ciuit. Dei \*, Remota iustitia, quid sunt regna, nisi magna latrocinia? Cum ergo dominia principum secularium plerumque cum iniustitia exerceantur, vel ab aliqua iniusta usurpatione principum sumpserint: videtur quod non sit principibus secularibus obediendum à Christianis.

cap. 4. in  
prin. to. 5

Sed contra est, quod dicitur ad Titum 3. Admone illos principibus & potestatibus subditos esse: & 1. Petr. 2. Subiecti estote omni humanæ creaturæ

Mm 4 pro-